



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. VII. De Institutione, Substitutione, & Exhæredatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

mo die, aliisque ad perpetuum cultum Divinum pertinentibus favore scilicet Religionis, & Divini cultus, curandum enim est, ut per opera pia cultus Divinus augeatur, non vero per subtractionem eleemosynarum minuat. cap. penult. de Constit. l. fin. C. de SS. Eccles. prout ex eadem ratione, in iis, quæ causis piis relinquuntur, fal-

cidia non detrahitur, ut in *Dissert. Prælimin. n. 25.* dictum est.

Uterius ex illis, quæ piis locis ¹⁴³ donata sunt, inter vivos, nihil debetur Episcopo cap. 4. de Sepult. & cap. 1. de stat. Monach. Panormit. ad cap. 15. h. t. num. 17. multo minus, si testator piis locis omnino nihil reliquerit, cum ad id non teneatur. Panorm. ad c. 14. h. t.

§. VII.

De Institutione, Substitutione, & Exheredatione.

SUMMARI A.

144. Institutio heredis est de substantia testamenti. 145. In quo illa consistat. 146. Non valet in arbitrium tertii collata. 147. Num contrarium obtineat de Jure Canonico, queritur. 148. Responsio nostra est negativa. 149. Institui potest heres vel pure, vel sub conditione, quod explicatur. 150. Conditio impossibilis testamento adjecta vitiatur. 151. Ad tempus certum institutio facta non tenet. 152. Potest institutioni etiam modus, causa, & demonstratio addi, & quo effectu? 153. Institutio supponit heredem capacem, & dignum, quid intersit inter incapacem & indignum? 154. Simpliciter incapaces de Jure Civili. 155. Et de Jure Canonico enumerantur. 156. Et qui secundum quid incapaces? 157. Substitutio alia est directa, alia indirecta. 158. 159. Substitutio vulgaris cum suo effectu describitur. 160. Similiter Pupillaris. 161. Et quasi pupillaris. 162. 163. Substitutio reciproca, & compendiosa exponitur. 163. Pupillariter substitutus excludit matrem filii impuberis. 164. Exceptio est in substitutione pupillari tacita. 165. Similiter excluditur mater per substitutionem vulgarem tacitam, quæ continetur in pupillari expressa. 166. Quid sit exheredatio, & quomodo a præteritione distinguatur? 167. Quæ requirantur ad exheredationem validam? 168. Et quando illa fiat irrescindibilis? 169. Cause ingratitudinis respectu liberoꝝ sunt XIV. 170. Respectu parentum VIII. 171. Respectu fratrum III. 172. An præter enumeratas ex aliis quoque causis exheredatio fieri possit? Affirmamus, cum certo tamen temperamento. 173. Alia quæstio circa exheredationem filii ex causa ingratitudinis resolvitur. 174. Filius propter ingratitudinem in seculo admissam non potest post ingressum Religionis exheredari. 175. Exheredatus legata non amittit.

In-

¹⁴⁴ **I**nstitutio heredis omni testamento adeo necessaria est, ut ea omissa, ipsum testamentum corruat, ac, quidquid alias testator disposuit, viribus, & robore careat, heredis quippe institutio caput atque fundamentum totius testamenti est, ut dicitur in §. 34. *Inst. de Legat.* Non tamen excedit facultatem S. Pontificis, quin Clericis per speciale indultum concedere possit, ut omissis *substantialibus*, adeoque sine heredis institutione valide testentur, prout simile diploma Papale exhibet Stryckius *de Cautel. testam. in Append. num. 10.*

¹⁴⁵ Est vero heredis institutio certi successoris in universum jus, quod defunctus habuit, legitima declaratio. Boehmerus ad *tit. ff. de liber. & posthum. num. 1.* ut porro hæc declaratio legitimè fiat, opus est, ut testator talibus verbis, litteris, aut signis pro varietate testamenti utatur, ex quibus, quis hæres designatus sit, constare possit *l. 62. §. 1. ff. de hered. instit. l. 15. C. de testam.* In dubio, quando heredis personam non satis perspicuè expressit, ad conjecturas, & præsumptiones recurritur, & si inde probabiliter intentio testatoris elici queat, heredis institutio tenet. *arg. l. 25. §. Lucius ff. de liber. & posthum. l. 3. C. de inoffic. testam.* quia omne illud habetur pro expresso, quod testator verosimiliter interrogatus expressisset. *l. 57. §. 1. ff. ad SC. Trebell.* cum paria sint, testatorem expresse, vel verosimiliter aliquid velle. *l. 49. princ. ff. de Legat. 1.* Quod si vero nulla probabilis, & verosimilis conjectura suppetat, unde persona heredis dignosci queat, heredis institutio

tio tam obscure facta non tenet. *d. l. 62. §. 1. ff. de hered. instit.*

Opportunè hic quaeris, an hæredis institutio arbitrio tertii committi possit, valeatque, si testator dicat: *instituo heredem, quem Titius elegerit?* Resp. talem institutionem de Jure Civili neutiquam valere. Præter complures textus, quos accumulatur Gonzalez ad *cap. 13. b. t. num. 3.* Probatur luculenter ex *l. 32. ff. de hered. instit.* ubi ita Cajus: *illa institutio: QUOS TITIUS VOLUERIT, ideo vitiosa est, quod ALIENO ARBITRIO permixta est: nam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex ALIENO ARBITRIO pendere.* Ratio datur, quod talis institutio foret contra substantiam testamenti, quippe quod definitur, quod sit *voluntatis nostræ* (non alterius) *iusta Sententia*, consequenter ex alieno arbitrio dependere non possit. Vid. Gonzalez ad *dict. cap. 13. num. 4.*

Num vero contrarium non obtineat de Jure Canonico, saltem respectu Clericorum testantium, aut *causarum piarum* heredum, meritò dubitaveris? Innocentius quippe III. in *cap. 13. b. t.* in facti contingentia ab Episcopo Alti-fiodorensi consultus ita respondit: *Qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit, non videtur decedere intestatus: ergo institutio heredis valet, alterius arbitrio commissa.*

Verum non est, ut propterea divortium inter utrumque jus statuamus. Non enim dicta Pontificis decisio generaliter & indefinite, prout verba sonant, exaudiri debet, sed ad propositam

eam facti speciem accommodanda, & exponenda est. Episcopus Altihodorenſis, cujus in *cit. cap.* mentio fit, ab Innocentio III. ſpeciale hoc Privilegium obtinuit, ut, quotiescunque Clerici ſuæ Diaceſis ſine teſtamenti Tabulis deceſſerunt, potuerit de bonis eorū relictis (non tamen *patrimonialibus*, quia hæc cedebant proximis agnatis tanquam hæredibus ab inteſtato) ſed proſpectu Eccleſiæ acquiſitis, prout ipſi viſum fuit, ad *cauſas pias* libere diſponere, prout ex integra Epistoſa d. Pontificis colligitur, cujus prior pars, quæ hoc Privilegium continet, recitatur in *cap. 28. de V. S.* Accidit ergo, ut quidam Clericus ante ſuum deceſſum de prædictis bonis ſuis Eccleſiaſticis diſpoſitionem tertio cuidam commiſerit faciendam, unde dein quæſitus Pontifex, an talis Clericus cenſeatur inteſtatus deceſſiſſe, ipſique Episcopo vi indulti Apoſtolici ſas ſit de bonis deſuncti libere diſponere & ordinare? ad quod reſpondit, non videri talem *inteſtatum* deceſſiſſe, eo nimirum effectu, ut dictus Episcopus ſuo Privilegio uti potuerit, quoad alios effectus ſcilicet, ut legitimi hæredes ſuccedant, Pontifex, cum deſuper non fuerit conſultus, etiam nihil deciderit, conſequenter circa juris communis diſpoſitionem, quod ultimas ejusmodi voluntates in arbitrium tertii commiſſas annullat, nihil quidquam imutavit. Cur vero ſimilem diſpoſitionem ex ſe caſſam, & irritam eo effectu valere voluerit Pontifex, ut Privilegium Episcopi excluderet, rationem hanc reddit Grannanietto ad *d. cap. 13. n. 4.* quod Privilegium hoc fuerit odioſum, quippe, quo Episcopo conceſſum fuit, ut de

bonis Clericorum ſuorum proſpectu Eccleſiæ acquiſitorum, quæ alias ad Eccleſiam, cui Clericus ſervivit, redire debuiffent, *cap. 7. h. t.* ipſe libere, ſaltem ad alias *pias cauſas*, potuerit diſponere. Vid. Grannanietto ad *cit. cap. num. 3. & 4.* Fachinæum *lib. 5. cap. 52.* Conſule etiam Thomaffin. *Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. part. 3. lib. 2. cap. 27. num. 8. in fin.*

Quæres. Quomodo fieri poſſit i49
inſtitutio hæredis? Reſp. poſſe eam fieri, tam purè, quam ſub conditione, tam caſuali, quam mixta, atque poſſe ſtativa, intellige reſpectu hæredis extranei §. 9. *Inſt. de hæred. inſtit.* in inſtitutione hæredis ſui non poteſt alia conditio apponi, quam quæ eſt in poteſtate ipſius hæredis, ac facile ab eo adimpleri poteſt. *l. 4. princ. l. 86. princ. & §. 1. ff. de hæred. inſtit. l. 28. ff. de condit. inſtit. l. 4. C. de inſtit. & ſubſtit.* imo & hæc detrahitur, quando legitime nocet. *l. 32. Cod. de inoffic. teſtam. Novell. 22. cap. 44.* Ratio prioris eſt, quod hæredis inſtitutio habet ſe inſtar donationis, quemadmodum ergo quis pure, & ſub conditione donare poteſt §. 1. *Inſt. de Donat.* ita quoque hæredem inſtituere, quæ tamen conditio, niſi compleatur, hæres non fit. *l. 4. ff. de condit. inſtit.* conditione vero exiſtente inſtitutio tenet, fingiturque teſtator tunc primum deceſſiſſe. *l. 26. ff. de condit. inſtit. & arg. l. 8. ff. de peric. & commod. rei vend.* datūque facultas hæredi extraneo hæreditatem ex tunc adeundi, non enim ipſo jure acquiritur *l. 13. ff. de condit. inſtit.* ſi conditio negativè fuerit adjecta, v. g. *ſi fundum aut prædium non alienaverit* hæres ſtatim ad hæreditatem admittitur,

M

titur,

ritur, modo cautionem præstet cohæredi, si quem habet, aut hæredibus ab intestato, quod conditionem adimplere, aut ea non impleta, æstimationem ejus, quod accepit, restituere velit. *l. 4. §. 1. ff. de condit. instit. l. 7. l. 18. ff. de condit. § demonstrat.* Condicio casualis, aut mixta semper adimpleri potest. *l. 2. 10. § 61. ff. de condit. § demonstr. l. 7. Cod. de instit. § substit.* Potestativa vero non nisi post mortem testatoris. *dd. LL.* Quodsi condicio potestativa facta adversarii, vel casu impediatur, pro impleta habetur. *l. 8. §. 7. ff. de condit. instit.* Et hæc quidem de conditione possibili.

150 Condicio impossibilis vel naturalis, vel facta testamento adjecta vitatur, seu pro non adjecta habetur, & perinde est, ac si hæres pure institutus fuisset. *§. 10. Inst. de hered. instit. l. 16. ff. de injust. rupt. l. 20. ff. de condit. instit.* idque ob favorem testamenti statutum est; econtrà actus inter vivos adjectione conditionis impossibilis vitantur, per *l. 39. ff. de pact. l. non solum ff. de O. & A.* condicio impossibilis de jure similiter non officit testamento, in quo extraneus hæres scriptus est, sed habetur pro non adjecta. *l. 9. § 14. ff. de condit. instit.* unde, si quis instituat Cajum hæredem, si fiat Lutheranus, aut Lutheranum, ne fiat Catholicus, valet institutio, sed condicio tanquam de jure impossibilis rejicitur arg. *l. 8. ff. d. t.* nocet vero similis conditio testamento, illudque nullum reddit, in quo hæres suus scriptus est. *l. 15. ff. d. t.*

151 Quæres II. An quis institui possit ad tempus, vel ex tempore certo? Resp. institutionem valere, non qui-

dem ut servetur tempus, sed rejiciatur, quia nullus potest partim testatus partim intestatus decedere. *l. 13. ff. de condit. instit. §. 9. Inst. de hered. instit.* Tempus verò incertum non rejicitur, sed ut conditio, ita & tempus retrahitur, quia dies incertus conditionem in testamento facit, *l. 75. ff. de condit. § demonstr.*

Quæres III. An modus, demonstratio, causa institutioni adjici possit? & quo effectu? Resp. affirm. & quidem modus non impedit, quominus institutio pro pura habeatur, & hæres admittatur ad successionem, præstita tamen idonea cautione de modo adimplendo. *l. 40. §. ult. l. 80. ff. de condit. § demonstrat.* Demonstratio & causa, etsi fuerit falsa, institutionem non vitiat, dummodo aliunde constet de mente testatoris. *l. 17. princ. § §. 1. l. 33. § seq. ff. de condit. § demonstrat.*

Ut porro institutio suum sortiatur effectum, debet ex parte hæredis idoneitas quoque spectari, an scilicet hæreditatem capere possit. Sunt enim quidam hereditatis potiundæ simpliciter incapaces, alii secundum quid. Alii demum, utut incapaces non sint, indignos tamen se hereditariis emolumentis fecere. Interest verò multum, an hæredes scripti sint incapaces, num vero indigni. Illi faciunt locum successioni hæredibus ab intestato, istis succedit fiscus. Cur verò non æque incapacibus fiscus succedat, hæc discriminis ratio redditur, quia, ut fiscus possit capere hæreditatem incapacis, deberet in jus illius subintrare, incapax vero nullum jus habet, in quod possit subintrare: at verò indignus habet jus, & ipso jure est capax, sed quia

quia se fecit indignum, ei hoc jus auferitur.

154 Simpliciter incapaces sunt de Jure Civili deportati l. 1. Cod. de hered. instit. liberi perduellium l. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majest. damnati ad ultimum supplicium l. 29. ff. de Pœn. damnati in opus publicum l. 17. princ. ff. d. t. Apostata l. 3. C. de Apostat. Collegia illicita, & non privilegiata l. 8. C. de hered. instit. Ratio, quare hi simpliciter incapaces institutionis sint, hæc datur, quod hæredis institutio, & testamentifactio sit Juris Civilis, cujus juris prædictæ personæ capaces non sunt.

155 De Jure Canonico simpliciter incapaces habentur hæretici, eorumque fautores, & receptatores cap. 13. §. credentes de heret. quo numero etiam hodie veniunt Protestantes, & Reformati, ita, ut in terris Pontificis à nemine, in terris vero Imperii à personis Ecclesiasticis institui cum effectu nequeant: item Cardinalium percussores & persecutores cap. ult. de Pœn. in 6. Similiter Ordo PP. Franciscanorum & Capucinatorum successionis hæreditariæ simpliciter incapax est. Clem. exivi de V. S. cap. 3. ad hæc cum fratres eod. in 6. Legata tamen, illi relinqui possunt, in re quidem immobili (excepta domo, horto, pro habitatione necessaria) non aliter quam ut illa res vendatur, & ex pecunia redacta fratrum necessitatibus provideatur. d. cap. 3. §. ad hæc quia fratribus &c. denique ne in ea quantitate legetur, ut legatum æquivalet hæreditati, & in fraudem legis dictum Ordinem hæredem institui prohibentis factum videatur, in d. Clem. exivi cavetur. P. Sannig h. t. c. 3. n. 2.

Secundum quid institutionis incapaces sunt Imperator litis causa, seu ut potentior substituatur l. penult. ff. de hered. instit. liberi illegitimi extantibus aliis legitimis in unica tantum uncia, nullis vero legitimis liberis, aut ascendentibus existentibus, in toto assè institui possunt l. 2. C. de Natur. liber. Nov. 89. cap. 12. §. 3. Idem est de avo, ut nec ille nepoti illegitimo, existentibus liberis legitimis, ultra unciam, his vero non existentibus, quantum voluerit, relinquere possit. l. fin. Cod. de natur. liber. Mulier, in quam turpis suspicio cadit, ne quidem in testamento militis institui potest. l. 41. §. 1. ff. de testam. milit. Spurii, ex damnato coitu procreati à parentibus suis hæredes scribi nequeunt. Auth. licet C. de Natur. liber. & quia hodie fideicommissum nulli relinqui potest, nisi qui directè institui valet, sic illi neque substitui possunt substitutione fideicommissaria neque vulgari, ne, quod directè negatur, per obliquum concedatur: unde tale fideicommissum spurio relicto probabilius sibi retinere poterit hæres, non obstante, quod fidem dederit, quia fides contra legem data non obligat l. 7. §. 7. ff. de Pact. nec etiam tenetur illud dare hæredibus ab intestato, quia iis tunc primum locus patet, quando hæres aut non adest, aut non vult adire hæreditatem. Vid. Haunold. tract. 6. cap. 5. Controv. 1. num. 267. Sanchez lib. 3. Consil. Moral. dub. 20. Hæc de institutione hæredum.

Occasione cap. 16. §. 18. h. t. nec 157 non cap. 1. eod. in 6. jam breviter hic dicendum est de substitutionibus, quæ juxta Covarruv. in cit. cap. 16. h. t. §. 4. sunt unius vel plurium in alterius, vel

aliorum locum in ultima voluntate facta vocatio. Est vero substitutio alia *directa*, alia *indirecta*. Illa est, quando verbis *directis* sine ministerio instituti, adeoque directe hereditas defertur substituto, ut, si testator dicat: *Instituto heredem Titium, & si Titius heres non erit, Cajus heres esto.* *Indirecta* est, quando verbis *indirectis*, obliquis, vel *precariis* hereditas defertur substituto, mediante alio, sive ministerio heredis instituti, qui gravatur vel totam, vel partem hereditatis restituere, & hæc vocatur *fideicommissaria*, de qua §. penult. b. t.

Substitutio *directa* in quinque species abit, in *vulgarem* nempe, *pupillarem*, *exemplarem*, *reciprocam*, & *compendiosam*, seu *breviloquam*.

158 *Vulgaris* est substitutio *directa*, quæ à quovis testandi facultatem habente, cuiusvis, qui heres institui potest, fieri valet, in eum scilicet casum, quo heres primo institutus hereditatem non adit, sive quia non voluit, sive quia non potuit, quia substitutio in unum casum concepta comprehendit & alterum. Struvius exercit. 33. Thes. 14. Eckolt ad ff. de vulg. & pupill. substit. §. 9. Boehmerus ad eund. tit. ff. num. 5. qui ultimus hanc rationem addit, quod testator substituendo magis substitutum, quam heredes ab intestato admittere voluisse præsumitur. l. 7. C. de impub. & aliis substit. vocatur hæc substitutio aliàs *secundi heredis institutio* licet sit tertia, quarta, quinta vel sexta, quia omnis illa substitutio dicitur *secunda*, quæ non est prima.

159 Effectus hujus substitutionis est, ut, si heres primò institutus hereditatem vel adire non potuit, morte præ-

ventus, vel non voluit, tunc substitutus succedat in bonis testatoris. l. 69. ff. de A. vel O. H. non verò heredis instituti, adeoque fiat heres testatoris. Quodsi heres institutus adierit, hoc ipso evanescit substitutio, tanquam deficiente conditione. l. 5. C. de impub. & aliis substit. cessat etiam substitutio, si substitutus moriatur ante institutum, vel ante aditam ab ipso hereditatem, nec ullum jus ad heredes suos transmittit, quod nullum adhuc habuit, nisi in spe per l. un. §. in novissimo C. de caduc. tollend. Zoëf. ff. ad tit. de vulg. & pupill. substit. num. 10. Molin. disp. 183. num. 7.

Pupillaris substitutio est, quæ patrens liberis suis *impuberibus*, & in potestate constitutis (etiam *exhereditatis*, quia *exhereditatio* non tollit jus patriæ potestatis. Vinnius ad §. 2. Inst. de pupill. substit. num. 4. in quo casu substitutus in bonis maternis, & aliis, non vero paternis succedit. Stryck. de caut. testam. cap. 18. memb. 2. §. 3.) quique post mortem suam in alterius potestatem non sunt recasuri, heredibus institutis alium substituit sub conditione, si ante annos pubertatis decesserint. princ. Inst. de pupill. substit. l. 1. §. 2. ff. de vulg. & pupill. substit. ut, si dicat: *Titius filius meus heres esto, & si mihi heres non erit* (id est, non adiverit hereditatem) *vel, si heres erit, & intra pupillarem ætatem decesserit, Cajus heres esto.* Priori casu heres substitutus sit heres patris, posteriori heres filii in omnibus bonis undecunque acquisitis l. 10. §. ad substitutos ff. d. t. unde latitat sub hac specie quoque *vulgaris* substitutio, sicut in *vulgari* subintelligitur *pupillaris*, nisi constet de

de contraria voluntate testatoris *l. 4. §. 2. l. 39. §. 1. ff. d. t. l. 2. l. 4. Cod. eod.* Adveniente autem pubertate, quæ in masculis contingit Anno 14. in foeminis 12. vel per emancipationem pupilli, qua exit è patria potestate, in qua alias esse debet tum conditi testamenti, tum mortis testatoris tempore, *l. 41. §. 2. ff. d. t. finitur hæc substitutio.* Olim corruente testamento patris, pupillare quoque corrui *l. 1. §. ult. ff. de vulg. & pupillar. substit.* quod secus est jure novissimo per *Nov. 115. cap. 3. Vinnius ad tit. Inst. de pupill. substit. num. 4. Franzk. exercit. 6. quest. 8. §. 9.* Ratio hujus substitutionis est, ut, cum filii impuberes sibi ipsis testamentum facere nequeant, saltem à patre factum habeant, & hac ratione duo quodammodo videntur esse testamenta, patris & filii. *§. 2. Inst. de pupill. substit.*

161 Exemplaris substitutio, quæ etiam quasi pupillaris audit, illa dicitur, quæ ad exemplum pupillaris à parente utroque sit liberis furiosis, aut mente captis, etiam emancipatis, legitima portione illis relicta. Dixi à parente utroque, quia hæc substitutio non nititur patria potestate, sed humanitate, sive providentia parentum ut dicitur in *l. 9. C. de impuber, & aliis substit.* in qua substitutione hoc speciale est, quod non quilibet per eam possit substitui, sed primo descendentes, si quos habeat mente captus, deinde his non existentibus, fratres ejus, his vero deficientibus extranei *d. l. 9. C. de impub. & aliis substit.* Juxta quam legem non omnes præcise liberi instituendi sunt, sed sufficit, si instituatur unus ex plu-

ribus, putat tamen Boehmerus *cit. tit. num. 27.* quod durties hujus legis juxta *Nov. 115.* ita mitiganda sit, ut cæteris liberis ad minimum salva sit legitima. Imo idem Author censet; parentes quoque hic substituendos esse per *Nov. 118.* Vid. Stryck. *de Cautel. testam. cap. 18. membr. 3. §. 18.*

Effectus hujus substitutionis est, 162 quod substitutus mente captis pariter in omnibus bonis succedat, *l. 10. C. de impub. & aliis substit.* finitur autem, sanitate mentis redeunte. *l. 43. ff. de vulg. & pupill. substit. §. 1. Inst. eod.* quia tunc sibi ipse testamentum facere potest, non vero suspenditur, ita, ut, si interruptus morbus redeat, etiam hæc substitutio convalescat. *arg. l. 3. C. de posthum. hered. instit. l. 15. ff. de injust. rupt. Vid. Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præsumpt. 50. num. 11. & seqq.*

Substitutio reciproca dicitur, quan- 163 do testator duos vel plures hæredes instituit, eosque sibi invicem substituit v. g. si dicat: *Instituo Cajum, & Sejum hæredes, eosque invicem substituo, ita, ut, si Titius hæres non erit, Cajus sit.* Et vicissim *§. 1. Inst. de vulgar. substit. l. 23. 41. & 45. ff. eod.* Adeoque non simplex est, sed mixta, & plures in se substitutiones continens. *l. 4. ff. eod.* Imitatur hæc substitutio institutionem primam, ita, ut cohæredes easdem capiant partes in substitutione, quas habent in institutione *d. l. 4. §. 1. & l. 5. ff. d. t.* Quod si tamen prudenter præsumi posset, voluntatem testatoris aliam fuisse, ei omnino parendum foret. *l. 9. l. 24. ff. de vulg. & pupill. substit. l. 23. ff. ad SC. Trebell. l. 124. ff. de Legat. 1.* In quo hæc substitutio

rio potior, & utilior sit jure accrescendi, exponit Boehmerus ad cit. tit. de vulg. § pupill. substit. num. 7.

Compendiosa substitutio dicitur illa, quæ verborum compendio fit, & plures in se substitutiones continet, secundum diversa tempora & ætates, ut, si testator dicat: *Instituo filium meum heredem, & si is vel quodocunque decesserit, substituo ei Cajum*, tunc, si filius non adita hæreditate, vel ante testatorem decesserit, substitutus succedit ex vulgari, si post hæreditatem aditam, sed impubes decesserit filius, ex pupillari, si denique pubes moriatur, ex fideicommissaria si pubes, & amens, ex exemplari. Covarruv. ad cit. cap. 16. h. t. §. 9. num. 1. Hic modus substituenti vocatur etiam *militaris*, quia militibus concessus l. 2. §. 1. l. 15. ff. de vulg. § pupill. substit. l. 8. C. de impuber. § aliis substit. substitutio à pagano facta continet quidem *vulgarem*, & quæ sub illa latitat, *pupillarem*, & quasi *pupillarem*, sive *exemplarem*, non etiam *fideicommissariam*, quia non est in potestate testatoris verbis *directis* fideicommissum relinquere, clausula tamen codicillaris si fuerit adjecta, facit, ut deficientibus reliquis substitutionibus, hæc compendiarie substitutio in fideicommissum flectatur. Stryckius de Caut. testam. cit. cap. 18. memb. 1. §. 6. § 2. seqq. cum pluribus ibidem relatis, quamquam contrarium æque probabiliter defendatur à multis per cap. 16. h. t. & cap. 1. eod. in 6. l. 8. C. de impub. § al. substit. et si enim testator verbis *directis* hæres esto usus fuerit, ex adjunctis tamen colligitur, quod filio suo etiam *puberi* substituere voluerit, quod, cum *directe* non potuerit, saltem *fideicom-*

missarie id voluisse censetur. Voluntas enim defuncti, licet ex conjecturis colligatur, tollit omnia obstacula, totum enim facit voluntas defuncti, ait Ulpianus in l. 35. §. 3. ff. de hered. instit. Vid. Panormitan. ad d. cap. 16. num. 16.

Dubitatur: An per substitutionem *pupillarem* mater excludatur à successionem filii impuberis? v. g. pater filium impuberem heredem instituit, eique Titium substituit, filius impubes decessit, quæritur, an substitutus Titius solus succedat, etiam matre impuberis exclusa? Resp. affirm. per l. 45. ff. de vulg. § pupill. substit. l. 8. C. de impub. § aliis substit. l. 8. §. sed nec ff. de inoffic. testam. cap. 1. h. t. in 6. Ratio est, quia, licet filius vel filia matrem legitima portione in testamento suo sine justa causa privare non possint, tale tamen testamentum non *pupillare*, sed potius paternum, sive pars testamenti paterni censetur §. 5. Inst. de pupill. substit. l. 38. in fin. ff. eod. in paterno vero testamento mater potest penitus excludi, nec enim ex parte patris mater *impuberis* sive uxor substituente patris est hæres *necessaria*, cui maritus teneatur aliquid in testamento relinquere, si tamen talis mater indigens esset, necessaria saltem alimenta à substituto ei præstanda forent. Covarruv. in cap. 10. h. t. num. 11. Molina disput. 184. n. 29. Et hæc multo magis procedunt circa fratres, aliosque consanguineos filii impuberis, ut scilicet à tali substituto *pupillariter expresse* excludantur.

Quod si substitutio *pupillaris* non expressa, sed *tacita* tantum fuerit, contenta in vulgari, ut, si pater dicat: *Filius meus impubes hæres esto, si hæres*
non

non est, *Cajus heres esto*, quo casu ex præsumptione legis pro *tacita* pupillari habetur, ut scilicet censeatur pater filio substituisse non tantum in casum, quo heres non est, sed etiam in casum, quo hereditatem quidem adiit, sed *impubes* decessit. l. 4. ff. de *Vulg. & pupill. substit.* l. 4. C. de *impub. & aliis substit.* & tunc mater ab extraneis pupilli heredibus ab intestato non excluditur, sed illis præferenda est. l. ult. C. de *instit. & substit.* & l. 8. C. de *impub. & aliis substit.* Molin. d. l. num. 19. Covarruv. in cap. 16. h. t. §. 9. num. 6. Zoel. hic num. 50. quia scilicet leges tantum in *pupillari expressa* eam excludunt, consequenter tanquam odiosæ ad *tacitam* extendendæ non sunt, nisi alia mens testatoris appareat, vel substitutus frater impuberis fuerit, quem testator uxori præferre voluisse præsumeretur. Bartol. in l. 2. num. 44. ff. de *Vulg. & pupill. substit.*

165 Quodsi substitutio *pupillaris expressa* fuerit, adeoque *tacitam vulgarem* contineat, ut, si pater dicat: *Filius meus impubes heres esto*, & si *impubes decesserit*, *Cajus heres esto*, itidem mater non succedet, sed exclusa censebitur, quia tunc non de hereditate filii, sed testatoris agitur: nec etiam *tacita vulgaris* locum habet, nisi, cum filius non adiit, vel ante patrem decessit, consequenter non filio, sed patri succeditur, ubi merito per substitutum mater filii, sive uxor testatoris excluditur. Covarruv. d. l. Molin. num. 20. Et hæc de materia *substitutionum*, quam prolixiori calamo tractare interpretum Juris Civilis est, dicta sufficiant.

166 Hæredes *necessarii*, de quibus in §. 5. & 6. superius actum est, debent

vel institui, vel nominatim exheredari. De *exheredatione* igitur nunc agendum. Est vero *exheredatio exclusio ab hereditate, quæ lege compete-
bat, testamento facta, & ordinata.* Sive est *exclusio à jure succedendi eorum, quibus debetur legitima.* Boehmerus ad tit. de *liber. & posthumum. n. 8.* Distinguitur à *præteritione*, quod hæc contingat, quando pater in testamento nullam omnino mentionem de filio facit, id est, nec nominatim instituit heredem, nec nominatim exheredat.

Ad *exheredationem* alia requiruntur, ut sit *valida*, alia, ut fiat *irrescindibilis*. Ad *exheredationem validam* necesse est I. ut fiat nominatim, hoc est, ut exprimatur nomen, vel agnomen, vel alio signo æquivalenti demonstretur persona exheredandi l. 1. ff. de *liber. & posthum.* quod sublata solennitate *formularia* hodie non amplius attenditur. l. 15. Cod. de *testam.* Boehmer. d. tit. num. 10. II. Ut fiat pure, non sub conditione l. 3. §. 1. ff. d. t. quia non videtur certo iudicio talis *exheredatio* facta fuisse, sed potius filius pendente conditione censeatur præteritus l. 18. princ. ff. de *Bonor. possess. cont. tabul.* l. 3. §. 1. ff. de *liber. & posthum.* Brunneman. *ibidem* num. 6. sub contraria tamen conditione *exheredatio* expresse facta, adjecta iusta causa, tenet, ut si pater in defectum conditionis *casualis* aut *mixtæ*, sub qua filium instituit, ipsum expresse exheredet l. 4. C. de *instit. & substit.* III. Ut fiat ex reflexo, & deliberato animi iudicio, temere & ex calore iracundiæ facta non nocet. l. 19. C. de *in-offic. testam.* IV. Ut fiat in testamento solenni, vel privilegiato, in *Codicillo*,
lo,

lo, aut divisione parentum inter liberos fieri nequit §. 3. *Inst. de Codicill.* ex ratione ibidem subijuncta: *ne confundatur Jus Testamentorum & Codicillorum*, & quia facta divisione bonorum inter liberos liberi ab intestato in illa bona succedunt per *l. ult. C. famil. eriscund.* Stryck. *de Cautel. testam. cap. 19. §. 13. V.* Ut exheredatio fiat à tota hereditate *l. 19. ff. de liber. & posthum.* Nec valet paritas ab institutione, quæ in re certa fieri potest, *l. 1. §. 4. ff. de hered. instit.* nam institutio est favorabilis, exheredatio vero odiosa *d. l. 19.* VI. Ut fiat à toto gradu, non à certa persona *l. 3. §. 2. ff. d. t.* Notandum autem est, aliud esse, filium exheredari à toto gradu, aliud ab omni gradu. Prius fieri dicitur, quando institutorum quidem plures sunt, sed sub uno gradu, nullo substituto, ut, si dico: *Cajum, Mevium, Scmpronium heredes instituo, & filium meum exheredo*, quo casu filium meum à quolibet herede exheredare debeo, & non sufficit, à Cajo tantum exheredari, vel Mevio. Ab omni gradu tunc fit exheredatio, quando sunt plures quidem gradus v.g. *Cajum heredem instituo, Cajo substituo Mevium, Mevio Titium*, hic sunt 3. gradus, videlicet una institutio, & duæ substitutiones, ut ergo hoc casu exheredatio recte fiat, debet ab omni gradu fieri, & non tantum à primo & secundo. *d. l. 3. §. 2.* ubi insimul nota diffinitio, quod intercedit inter exheredationem, quæ fit à toto, & ab omni gradu, quod in eo consistit, quod exheredatio si non fiat à toto gradu, testamentum omnino corruat, sin vero non fiat ab omni gradu, tunc ille gradus solus vitatur, in quo filius fuit

præteritus v.g. uxorem heredem instituo, & si heres non erit, ei fratrem substituo, filio exheredato. Hoc testamentum in gradu primo non valet, quia ibi fuit filius præteritus, valet autem in secundo, quia in eo filius est legitime exheredatus. *l. 3. §. fin. ff. de liber. & posthum.* & e contra, si filius fuisset exheredatus in institutione, præteritus vero in substitutione, tunc valeret primus gradus, & vitaretur secundus.

Ut exheredatio fiat irrefcindibilis 168 per querelam inofficiosi testamenti, oportet, ut fiat ex causa ingratitudinis in *Nov. 115. cap. 2.* expressa. Deinde, ut eadem causa nominatim testamento inferatur. *d. Nov. cap. 3.* & denique ut illa causa probetur ab herede *cit. cap. 3. §. ult.*

Causæ ingratitudinis, ob quas liberi 169 exheredari possunt, in *Nov. 115. c. 3.* recensentur XIV. Et quidem I. est, si filius patri violentas, & impias manus intulerit, solus conatus non sufficit, nec etiam si id fiat justæ defensionis causa contra iniquos patris insultus. II. Si injuria verbali, eaque ex se atroci parentes affecerit. III. Si in causis criminalibus, quæ non sunt adversus principem, vel rempublicam, eos accusaverit. IV. Si maleficis, & qui magicas artes adhibent, se associaverit similis maleficii patrando gratia. V. Si vitæ parentum veneno, vel alio malo insidiatus sit. VI. Si cum noverca sua se miscuerit, modo tamen filius hoc sciverit. VII. Si facta delatione parentibus gravia dispendia intulit. VIII. Si parentes carcere detentos pro ipsis fidejubendo redimere negligat. Quod tamen non ferit filios,

lios, beneficio SC. Vellejani tutas, in filio quoque, ut hac labe se foedasse dici possit, requiritur, ut is major 18. annis, & prævie à patre fuerit rogatus, & ipsum delictum, ob quod pater carceri datus est, ita comparatum sit, ut fidejussionem admittat. IX. Si parentes testamentum facere prohibuerit, quo casu ipsi ut indigno à fisco auferitur hæreditas l. 19. princ. ff. de his, quæ ut indigni. X. Si mimis, & arenariis contra voluntatem parentum se miscuerit, & ibi permanserit, absque eo, quod pater ejusdem sit professionis. l. 47. ff. solut. matrim. XI. Si filia noluerit nubere, parente eam dotare volente, sed vitam luxuriosam prætulit, nisi forte majorem pater non curaverit elocare, tunc enim, si in corpus suum peccaverit, vel alicui libero sine illorum consensu nupserit, causa ingratitudinis sufficiens non erit. XII. Si parentem furiosum neglexerit curare, vel nutrire, tunc enim hæreditas filio tanquam indigno auferitur, & adjudicatur ei, qui curam furiosi habuit. XIII. Si filius, vel etiam alius hæres institutus testatorem ab hostibus redimere neglexit, quo casu pater à servitute liberatus filium exhæredare poterit, vel, si in servitute mortuus fuerit, bona à filio, vel hærede altero auferentur tanquam ab indigno, & applicabuntur Ecclesiæ pro redemptione aliorum captivorum. XIV. Si filius factus fuerit hæreticus, contra quod tamen eatenus protestantur protestantes, & reformati, ut hoc non procedat, si Catholicus in Romano Imperio ad ipsorum sectam defecerit: quia scilicet utraque religio per instrumentum pacis Westphalicæ in Imperio per pa-

tientiam toleratur. Quod beneficium frustra sperarent, si exterorum non nemo v. g. Gallus se eorum religioni addiceret.

In parentum exhæredatione octo tantum causæ admittuntur. Nov. 115. cap. 4. videlicet ex supra recensitis causis III. V. VI. IX. XII. XIII. XIV. & præterea si pater vitæ uxoris, vel uxor vitæ mariti veneno, aut alio medio insidiata fuerit.

In fratrum exhæredatione tres potissimum causæ reperiuntur. Nov. 22. cap. 46. §. ingratitudinem & cap. seq. videlicet si vitæ fratris insidiatus fuerit, si omnium bonorum, vel majoris partis jacturam intulerit, si testatorem capitaliter accusaverit: ubi nota, quod in hac exhæredatione causa non sit præcise exprimenda, quod frater exhæredatus se gratum fuisse probare debeat, & quod testamentum, si per querelam inofficiosi rescindatur, penitus corruat. Nihil enim de Jure veteri quoad hanc exhæredationem est mutatum. Boehmer. ad tit. de liber. & posthum. num. 31.

Quæres I. An ob graviores causas præter enumeratas 14. possit fieri exhæredatio? Et affirmativa, & negativa suis nititur argumentis, ut legere est apud Stryckium de Cautel. testam. cap. 19. §. 22. & seq. Nos cum laudato Authore Sententiam affirmativam hoc cum temperamento recipimus, ut, si tales causæ in cit. Nov. verbis quidem expressæ non sint, reipsa tamen sub recensitis causis comprehendantur, vel ut Huberus ad tit. Inst. de liber. exhæred. §. 10. dicit, si dictæ causæ sint ejusdem, & non diversi generis cum causis in d. Nov. determinatis, sufficiant

etiam ad exhæredationem. Ratio est, quod hoc ipso, quod similes causæ re ipsa conveniant cum causis specificatis, ac sub genere expressarum contineantur, ab illis avelli nequeant, sed eundem omnino effectum operari debeant. Et sane, quis absurdum esse neget, eum posse exhæredari, qui se cum noverca sua carnaliter commiscuit, non item, qui hanc turpitudinem admisit in sua propria, & naturali matre? Illud *verbis* Imperator in *d. Nov.* expressit, hoc *re ipsa* dicere voluit. Aliud foret, si delicta essent diversi generis, tunc enim à causis expressis ad non expressas argumentum non procedere ultro largimur, quia exhæredatio tantum in vindictam privatæ injuriæ, & quidem ipsi testatori illatæ decreta fuit; unde, licet majus sit delictum respectu reipublicæ, si filius occidat extraneum, quam si patri aliam infligat, non tamen illud, sed hoc pœna exhæredationis coercetur. Et hac explicatione, ac modificatione nec *verbis* Imperatoris in *cit. Novell. 115. cap. 3.* nec menti ejus nos contrariari existimamus, ut legenti, & verba textus trutinanti patebit.

173 Quæres II. An filius, qui unam ex causis ingratitude in *d. Nov.* expressis reverà admisit, paternum testamentum bona conscientia impugnare, aut hæreditatem contra voluntatem patris eo casu occupare possit, quando causa illa, sive crimen nec à testatore in testamento expressum, nec ab hærede probatum fuit? Hanc quæstionem sic resolvendam cenſeo: ad hoc, ut filius cum effectu exhæredari, & extraneus institui possit, omnino requiritur, ut causa exhæredationis testamento inse-

ratur, ita, ut alias institutio hæredis extranei nequidem in conscientia valeat, sed hæreditas perinde ad filium spectet, ac si testamentum factum non fuisset. Colligitur id ex verbis *sat claris cit. Nov. cap. 3. § 4.* Vide tamen Clariss. D.D. Peregrini ad *tit. Inst. de exhæred. liber. num. 10.* ubi verba *cit. Nov.* accuratiori trutina examinat.

Probatio vero causæ expressæ per hæredem scriptum facienda probabilius pro forma à lege non requiritur, sed relevabitur hæres à probatione, si vel crimen fuerit aliàs notorium, vel filius illud ultro fateatur: sicut enim filius bona conscientia mentiri, & delictum negare non potest, ubi se in conscientia reum agnoscit, ita hæredi scripto onus probandi imponere, aut hæreditatem eidem per malitiosum mendacium ereptam bona conscientia retinere nequit. Neque enim hic eidem favet dispositio. *d. Nov.* quippe quæ in præsumptione facti fundatur, & ideo præcisè onus probandi hæredi imponit, quod filium, non obstante insimulatione patris, tamdiu præsumat innocentem, dum probatus fuerit nocens. Hæc vero præsumptio in data hypothesi cessat, unde lex, quæ eidem innititur, non potest favere filio reo cum præjudicio hæredis scripti, nec huic lucrum hæreditatis adipisci, & alteri male merenti adjicere.

Quæres III. An filius propter ingrati- 174 tudinem antecederet commissam post ingressum religionis exhæredari possit? Resp. non posse per textum expressum in *Nov. 123. cap. 21.* qui refertur in *cap. ult. C. 19. Q. ult.* Ratio reddi potest ex *Nov. 5. in Præfat.* ubi his verbis statum Monachalem com-
men-

mendat Imperator: Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit DEO ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat &c.

Quæres IV. Quid si causa exheredationis à jure probata exprimitur, & probetur, num etiam legata, fidei commissa &c. concidant? Resp. negativè auth. ex causa C. de liber. præterit.

§. VIII.

De juribus, & beneficiis, quæ heredi ex testamento acquiruntur: item de Executoribus testamentorum.

SUMMARI A.

176. Heredi mox à publicatis testamenti Tabulis duplex beneficium conceditur. 177. Primum vocatur jus deliberandi. 178. Hereditatem semel acceptatam dimittere non licet. 179. Alterum est beneficium Inventarii. 180. Ejus effectus enumerantur. 181. Quæ pœna sit negligentibus hoc beneficium decreta? 182. Tenetur ultra vires hereditarias in conscientia etiam ante Sententiam judicis. 183. Quid sit aditio hereditatis? 184. Requiritur ex parte heredis & voluntas & potestas adeundi. 185. Sub conditione adiri nequit. 186. Effectus aditionis describuntur. 187. Quid sit repudiatio hereditatis? 188. Tria remedia habet hæres pro consequenda possessione rerum hereditariarum. 189. Petitio hereditatis exponitur. 190. Quid sit interdictum quorum bonorum? 191. Quid immissio in possessionem bonorum ex edicto D. Hadriani? 192. Complementum testamenti est ejus executio. 193. Quot & quales executores constituere possit testator. 194. An eos ad suscipiendum officium cogere possit? 195. Quinam executores à lege constituti sint? 196. 197. Quo tempore, & sub qua pœna testatoris voluntas executioni mandari debeat?

176 **A** Pertis testamenti Tabulis (id quod fieri solet vel coram iudice solenniter, vel coram aliis viris honestis privatis, presentibus omnibus iis, quorum interest) iisque publicatis, & ad acta relatis, constitutæ, quis hæres in testamento scriptus sit, duo mox beneficia, quorum alterum altero pinguius est, eidem à jure offeruntur, videlicet jus deliberandi, & beneficium inventarii. Cum enim hæres adeundo hereditatem in universum jus defuncti succedat, seseque

ad omne æs alienum à defuncto contractum exsolvendum obstringat, idcirco, ne hæres præpropere adeundo hereditatem sibi præjudicet, leges eisdem duplici prædicto beneficio prospectum ivere.

Primum igitur beneficium vocatur jus deliberandi, per quod heredi, antequam adeat hereditatem, certum temporis spatium, conceditur, intra quod secum deliberare possit, an sibi expediat adire vel repudiare hereditatem inspectis instrumentis, & facultatibus